

et armis, cum lanceis, balistis, nil illorum istis, quin hostibus se darent et fortiter clamarent: O domine, o domine, me miserum recipite! Do vobis aurum et argentum, do vobis vestimentum, equos et denarios, ornatus, pannos varios et quid habere potero; servate me pro famulo, habeo vos pro domino. Quid est hoc longe¹ dicere? Recedunt valde misere in brasis² et camisiis et discissis tunicis, quae erant sine manicis. In fornaces ibant et scampna subibant³, sepes perforabant, aggrestes deiurabant⁴. Non est hec res miranda et dolus nephanda (sic): Qui non servabant fidem⁵ pridem prius pridem, huc veniunt, et idem rex Fridricus⁶ Australis non est talisqualis, quin non sit confusus et cum suis retrusus. Quid tibi de regno et Romano imperio, dimittas tuo domino, praeclaro regi Ludwico! O Australes miseri, hoc habetis luci⁷: venistis equitando, redite navigando; quod nobis comedistis, hoc bene persolvistis, dedistis nobis omnia, quae habere potuistis. Sollemniter venistis, confuse recessistis. duo in una braca, sic sunt visa monstra et hoc in sua patria, quae vocatur Austria. Audite et intelligite lamentacionis⁸ carmen et ve Fridrici⁶, ducis Australis et H., sui fratris: Iam eram rex et dominus, nunc ecce iam sum servus. Veni fallatus (sic) militibus, ut eram mundi dominus, veni equitans cum decem milibus nunc sum⁹ illorum minimus¹⁰. Orbatus iam sum mundo et regno et¹⁰ Romano imperio, hereditate propria et fratre meo Henrico. O Ludwice domine, rex Romanorum inclite, recipite nos miseros exnunc in vestros famulos accipite et capite et permittatis vivere! Dimitto vobis mundum, resigno vobis regnum, insuper et fateor vos esse meum dominum. Perdididi colores, amisi res et honores! Ad invicem dicentes se mutuo videntes: Merito haec patimur, quia peccavimus in nostrum¹¹ verum dominum Ludwicum¹² inclitum. Qualis quanta gloria! O qualis victoria per universa saecula!

1) 'longum' M. 2) 'bratis' corr. in 'braccis' W. 3) 'et scampna subibant' fehlt W. 4) Am Rande hinzugefügt: 'devorabant' M. 5) Vgl. dazu die Worte (Pez 419a): 'Sed de Australibus hoc dico: ipsos parum diligo, nec multum curo, quia nunquam fideles habiti vel inventi sunt in testamento suo'. 6) 'F.' M. 7) 'habetur lucro' W. 8) 'lamentaciones' M. 9) 'et' W. 10) Fehlt W. 11) 'regem' W. 12) 'L.' M.